

## IŪLIA

## I

IŪLIA puella parva est. Prope ōram maritimam habitat. Britannia est IŪliae patria. Puellae Britannicae ōram maritimam amant. Nautās quoque amant puellae Britannicae. IŪlia est filia agricolae et casam parvam habitat. Sed IŪlia ōram maritimam et nautās amat. Nautae quoque IŪliam amant. Saepe prope ōram maritimam IŪlia ambulat. Nautārum filiae cum IŪliā ambulant, et prope ōram maritimam saltant. Multae rosae sunt prope IŪliae casam. Rosīs aquam dat IŪlia. Saepe IŪlia rosās nautīs dat. Agricola IŪliam nōn culpat sed laudat, quod rosās pulchrās nautīs dat. Rubrae et albae sunt rosae. Saepe IŪlia ad nautārum casās rosās pulchrās portat. Nautae puellam parvam laudant.

## II

Ad IŪliae casam pīrāta vēnit. Rubra est pīrātae tunica, splendidae sunt galea et hasta. IŪlia prope casae portam stat et pīrātam spectat; pīrātae hastam et galeam et tunicam rubram amat et laudat. Pīrāta quoque IŪliam et casam et rosās laudat. “O IŪlia,” inquit, “pulchra es puella et pulchrae sunt rosae tuae. Nāvicula mea pulchra est. Alta est prōra nāviculae meae. in extrēmā nāviculā sto et nāviculam guberno. Alba est nāvicula mea; nunc prope ōram maritimam stat.” Tum IŪlia cum pīrātā ad ōram maritimam ambulat et nāviculam albam spectat. IŪlia et pīrāta prōram nāviculae multīs rosīs ornant. Subito pīrāta puellam in nāviculam iactat. Multae sunt lacrimae puellae, sed frustrā—pīrāta in extrēmā nāviculā stat et nāviculam gubernat.

## III

Agricola ad casam vēnit. Filia parva nōn est in casā. Tum agricola, “IŪlia,” exclāmat, “filia mea, ubi es?” Iterum IŪliam vocat, sed frustrā—nulla est puella. Cēna nōn est in mēnsā parāta, nec rosae in mēnsā sunt. Tum ad ōram maritimam properat et procul nāviculam

albam spectat. Ad nautārum casās properat. Nautārum filiae perterritae, “Cum pīrātīs,” in-  
quiunt, “est Iūlia tua.” Magna est ira agricolae. Galeam et hastam raptat. Nautae nāviculam  
suam agricolae dant. Nautae quoque galeās et  
hastās raptant, et cum agricolā ad pīrātārum  
nāviculam properant. Tum agricola pīrātās vocat ;  
“Ubi,” inquit, “est filia mea ?” Pīrātae, “Filia  
tua,” inquiunt, “in nāviculā nostrā est.” Tum  
agricola pecūniam multam pīrātīs dat. Pīrātae  
Iūliam ad agricolae nāviculam portant.

## IV

Laeta est Iūlia quod iterum casam parvam cum  
agricolā habitat. Sed Iūlia puella duodecim  
annōrum iam est. Itaque agricola filiae suae  
tabulās dat. Pecūniam quoque lūdī magistrō dat.  
Cotīdiē puella ad lūdum per agrōs ambulat. Multī  
iuvencī in agrīs sunt, sed impavida est puella.  
Tabulās ad lūdum Iūlia portat. In tabulīs  
litterae multae sunt. Lūdī magister Iūliam laudat  
quod litterās bene cotīdiē recitat. In lūdō multī  
puerī, multae puellae cum Iūliā sunt. Magister  
lūdum bene gubernat. Industriīs puerīs magister  
librōs pulchrōs dat ; pigrōs malōsque puerōs  
nōn laudat sed culpat. Magna est ira magistrī

quod puerī pigrī litterās nōn bene recitant. Itaque  
puerī pigrī in angulīs stant. Multae sunt lacrimae  
puerōrum malōrum. Itaque puerī industriī sunt  
et litterās bene recitant. Iūlia prandium ad  
lūdum cotīdiē portat, quod longa est via. In  
agrīs prandium est Iūliae grātum.

Multās fābulās puerīs et puellis magister benignus  
in lūdō narrat ; nunc dē Britannīā, nunc dē  
longinquīs terrīs fābulās narrat. Grātae puerīs  
et puellis sunt fābulae. Nunc igitur in librō nōn  
solum Iūliae sed multīs etiam puerīs et puellis  
fābulās narro.